



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Io. Francisci Leonis Eporediensis I. V. D. Episcopi Thelesini Thesaurus Fori Ecclesiastici

Leoni, Giovanni Francesco

Coloniae Agrippinae, 1682

22 Decimarum causas, qui cognoscere poßit.

urn:nbn:de:hbz:466:1-10316

que metallorum fodinis, de molendinis, & furnis, mercede mercenariorum, ac de omni artificio, negotiatione, & lucro, ac aliis; de quibus per Host. in *sum. de decim. eod. n. 5.* & copiose Monet. *dicto capitulo quarto, eodem titulo, per totum.*

22 Quæri nunc potest, si an iudex secularis cognoscere possit de causa decimarum; & est distinguendum, quia, aut agitur de quæstione facti tantum, & non juris, ut de summario possessorio; & tunc iudex secularis erit competens, non jure suo, sed favore ecclesiæ, cum agatur de sola executione in favorem ecclesiæ. Feder. de Sen. *conf. 245. n. 3.* Felin. in *c. causam, n. 15. de prescript. Rebuff. quest. 10. nuu. 3.* & Monet. *q. 8. num. 13. de dec.* Secundò, erit competens iudex secularis, quando agitur de facto, vel de furto decimarum, vel executione, Fed. in *d. conf. 245.* & Rebuff. *eod. n. 3.*

Tertiò, quando tantum agitur an decimæ sint solutæ, quo casu poterunt clerici coram iudice seculari laicos solutionem decimarum recusantes compellere, Covarr. *pract. quæst. c. 35. num. 21.* Rebuff. *eodem cap. 10. num. 4.* & Monet. *eod. c. 8. num. 5. de decim.* & quocunque casu non privativè ad iudicem ecclesiasticum, sed erit in arbitrio clericorum, quem velint ecclesiasticum, vel secularem iudicem adire, & erit locus præventioni, Feder. *eod. conf. 245.* ita quòd in dictis casibus ecclesiastici habebunt duos iudices, Felin. in *d. cap. causam, num. 25.* & melius Covarr. *eodem num. 2.* quem sequitur Monet. *dicto cap. 8. num. 14.* Si verò de jure exigendi decimam tantum agatur, illud jus in laicum cadere non potest, & qui tale jus

sibi usurpat, sacrilegium committit: quia rem sacram sibi contra sacros canones, & jura sumit, & arrogat; decima enim est res spiritualis, & sacra, ut inquit Abb. in *cap. adhuc, num. 2. de decim.* & Azor. *eodem l. 7. cap. 34. sub vers. septimò quæritur,* & ideo ad iudicem ecclesiasticum cognitio spectat. gloss. in *c. ex tenore, in ver. Ecclesiarum, de for. comp.* & Rebuff. in *dicto tract. de decim. quest. 10. num. 2. & 35.* & jurisdictione spiritualis per laicum, nec præscriptione acquiri potest, *cap. causam qua. de prescript. cap. prohibemus, de decim.* & Azor. *dicto l. 7. institut. morab. cap. 36. vers. quarto quæritur.*

Decimarum causæ tribus remediis possessoriis agitari possunt.

24 Primò remedio retinendæ, quando quis est in possessione illas percipiendi tempore, quo lis movetur, in qua est manutenuendus, s. *quorum, vers. hodie, instit. de interd. cap. licet causam, §. fin. vers. cum ergo, de probat.* Bart. in *l. 1. §. hujus autem, num. 1. ff. ut possi. & in l. 1. C. eodem titulo, Ruin. consil. 106. num. 1. vol. 5. Corn. 113. n. 1. vol. 1.* & hoc remedio retinendæ, vel interdicto, uti possidetis, statim quòd quis adeptus est beneficium, & inductus in possessionem, licet adhuc nullas receperit decimas, agi potest ad decimas, in quarum possessione prædecessor existerat, quia per inductionem in possessionem beneficium efficitur possessio omnium rerum & juris sui Ecclesiæ, Rebuff. *q. 9. num. 3. & 5.* & Monet. *quæst. 8. num. 30. & 31. de decim.* Nam in acquisitione possessionis non requiritur adeptio possessionis omnium prædiorum, & glebarum, *l. 3. in princip. ff. de acqu. poss.* sed in beneficiis sufficit apprehendere possessionem

bene-